DE SVMMO ROMANO PONTIFICE SVMMARIVM.

In quo omnia, quæ ad principatum, eiuſq; dignitatem, maieſtatem, atq; Poteſtatem in vniuerſa Dei Eccleſia pertinent, explicantur.

Auctore Hieronymo Manfredo Bononien. Iure Conſulto Cæſenæq; Præfecto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



De Superiorum Licentia.

CAESENAE.

Bartholomæus Rauerius Excudebat. Anno M. D. LXXXVI.

SIXTO QVINTO PONTIFICI MAXIMO.

Hieronymus Manfredus, Precatur Felicitatem.

BEATISSIME Pater, non potui diutius Summarium, quod De Summo Rom. Pont. poſt multorum librorum lectionem ſcripſeram ſupprimere, neq; meliorem occaſionem habiturum exiſtimaui, quàm tibi Principi ſapientiſsmo hec Pontificiæq; tuæ Poteſtatis, Dignitatis, ac Maieſtatis noua præter Cæteros piè complectens, conſecrare, vt huiuſmodi munuſculo, poſt alterum De Maieſtate Rom. Eccl. hoc anno Pontificatus primo tibiq; dicatum, cum cæteris Sanctitatis tuæ deuotionem meam profiterer, illud eſt quidem, & Principatus, officij tui, atq; iurisdictionis in Vniuerſa Dei Eccleſia breue Compendium, Complectere Itaq; opuſculum meum humaniſsime Pontifex hilari animo, quod ſi tibi placebit, Cæteris omnibus me ſatisfeciſſe putabo, ſi minus erit mihi habenda gratia, quòd tibi ego importunitate hac mea Documento fuerim nimia, humanitatem aliquando obeſſe ſolere. Hoc vnum poſtremo te oro, vt non operis tenuitatem, quin animi ſignificationem Expendas Vale. Xiiij. Kalen. Ianuarij. M. D. L. XXXV.

AD
AMPLISSIMVM
CARDINALEM CANANIVM,
Flaminiæq; Legatum Meritiſsimum Carmen.

❧

CANANIVS Celſo Conſulget Corpore Comptus
Carcere Caſtigat Crimina Caſta Colit;
Caſtraq; Cananius Cura Certamine Cernit,
Cananij Clamat Celſa Corona Caput.
Concernit Cultor Cæleſtis Celica Conſul,
Cananius Curat Cætera Conſilio.

MICHAELI BONELLO, HIERONYMO RVSTICVCIO CARDINALIBVS AMPLISSIMIS,

Hieronymus Manfredus S.

PROH Dij quàm fœde rerum geſtarum ſcriptores illi aberrarunt Ampliſsimi Patres, qui ſummum principatum ad eos contulerunt, penes quos temporalium rerum tantum adminiſtratio extitiſſet; Summo Rom. Pontifici ſecundas tribuentes, quaſi verò arma tractare, & ſumma Imperia humanis legibus adminiſtrare, virtutem Euangelij, & ſacrorum miniſterium ſuperet, aut Cyro, & Alexandro, Cæſari ſuccedere, plus afferat momenti, quàm à Chriſto pendere, vt in Petro, & cæteris ſucceſſoribus Rom. Pontificib. legimus, nam hos quidem non modò in altiſsimo dignitatis gradu locauit, verum etiam eos cæteris hominibus, Regibus, Imperatoribus, & Principibus totius orbis antepoſuit, ac mentiſsimè effecit, vt ſe illis omne genus curuaret, illiſq; ſe dimitterent Principes, ac Reges cuiuſcunq; generis in terris eſſent, propter ſummum officium, ſummam dignitatem, atq; poteſtatem, quibus à Deo Optimo Max. illuſtrati vniuerſo terrarum

orbi

orbi prælucent, quoniam à veteribus precipuæ nominantur, cum omnis principatus ab ipſis pendeat. Quare neminem futurum arbitror, niſi maximæ pertinaciæ, qui non fateatur Maieſtatem, Auctoritatemq; Summi Pontif. Rom. inter homines præſtantiſsimam, quoniam ſi quis præterita tempora præſentibus coniungat, videbit vtiq; Rom. Eccleſiæ Pontifices perpetua propè ſerie in diſciplina, religione, & iurisdictione eadem à Chriſto vſq; ad hanc diem permanſiſſe, idem ſemper cultus, ea ſacra, illæ cerimoniæ ſemper extiterunt, quas primus omnium parens Adamus à Deo ſummo edoctus fuit, eademq; ad extremum vſq; (ni fallit ipſa veritas) permanebunt, nichil in hos Pontifices Rom. repugnans, nihil contrarium, nihil immutatum, cum Spiritu Sancto, Chriſto auctore regantur. Quamobem has ob cauſas, cum me ipſum collegiſſem Illuſtriſsimi Antiſtites, meum eſſe duxi, aliquid Chriſtiano homine, & ſcientia, quam tenuem profiteor, non indignum literis mandare, poſt multorum librorum lectionem hoc meo opuſculo, omnia, quæ ad Summum Rom. Pont. pertinent, carptim complecti. Quantum hac in re profecerim, aliorum judicium eſto, certè diligentiam præſtiti; quod niſi hoc ipſum effecero, nihilominus, vel conatu ipſo aliquam merebor gratiam. Vos ergo ſplendi-

di-

didiſsimi Principes occurriſtis, quorum præſidio prodit ſummarium, & rectè quidem, quibus enim illud commendarim, potius quàm vobis, Religione Dignitate, & Auctoritate ampliſsimis, id enim, quæ veſtra eſt animorum magnitudo, vna cum eius auctore (Sarctum quod aiunt) ſeruetis oportet, vos illi ſplendidiſsimum affluxiſtis ſydus, veſtro admonitu curſum tenere ſe poſſe confidit, indeq; in placidiſsimum vndis ſuperatis dilapſurum portum. Quare pluribus ne proſequar, pro ea, qua conſueuiſtis humanitate defendatis obſecro, atq; exiſtimetis, mihi nihil carius extitiſſe, quod vobis pro maximis ergo officijs offerre poſſem, indicium certè meæ erga vos pietatis, atq; obſeruantiæ, hoc quicquid eſt muneris, eſſe volui. Valete. Xiiij. Kalen. Ianuarij. M. D. L. X X X V.

PER ILLVSTRI AC REVERENDISSIMO D. DECIO AZZOLINO CERVIAE EPISCOPO Amabiliſsimo.

Hieronymus Manfredus S.

NIHIL Hominum generi à Deo Optimo Maximo Dignius, nihil præſtantius animi dotibus, ac ornamentis tributum fuiſſe, hominem, qui neſciat arbitror eſſe neminem. Quo fit Reuerendiſsime Antiſtes, vt qui ſtatuis, & imaginibus delectantur, non intelligant ea ſe admirari, quæ fortunæ obnoxia mille pateant caſibus, facillimeq; vel conſumuntur, vel corruunt. Animum igitur nunquam non ornandum, atq; exercendum duxi, hominemq; in primis decere communi vtilitati conſulere, atq; Deum quammaxime liceat, imitari. Quamobrem cum menſibus præteritis ex meo inſtituto hoc communi Chriſtianorum gaudio Sixto Quinto Summo Ro. Pontifici è

Cælo dimiſſo De Maieſtate Romanæ Eccleſiæ librum dicauerim. Nunc ſupererat de Maieſtate Romani Pontificis, illiusq; Poteſtate, atq; Officio, & Principatu in Vniuerſa Dei Eccleſia liber alter. Tu qui à ſecretis Summi Pontificis es, tibiq; Maieſtas, Dignitas, Poteſtas, atq; Principatus omnia conſtant. Sisq; reru earum tamquam ſocius, & particeps, ipſe iudicabis, an vera in hoc Summario loquutus fuerim, neq; mediocrem, vt arbitror voluptatem capies virtutibus, quibus modo frueris ad poſteros etiam perventuras eſſe, & quibus etiã huic tãtæ exiſtimationi ampliſsimum ſanè teſtimonium hoc tempore redditum eſt, cum prudentiſsimus, & ſapientiſsimus Princeps Sixtus Quintus Pontifex Maximus ſuo præclaro, hominibus deligendis iudicio te in Epiſcopum Ceruiæ Illuſtris cooptauerit, quæ Dignitatis acceſſio non tam quidem tibi futura eſt ornamento, qui te iam diu omni honore, Superiorem oſtendiſti, quàm ſummæ vtilitati apud Summum Pontificem, penes quem longè, latèq; propagandum diuinã ingenij, & virtutis tuæ vim aptius, atq; commodius exercere poteris. Accipe igitur, qua ſoles humanitate quicquid a me proficiſcitur, & boni conſule, & cum primum occaſionem nactus fueris Summum Pontificem de mea erga ſe pietate, atq; obſeruantia, vt certiorẽ facias abs te etiam atq; etiampeto. Vale. K. Ian. M. D. XVC.

NVLLA nauis, nullus exercitus, nulla ciuitas, quæ adminiſtrari tutò poſſit, niſi vnum habeat patrem, magiſtrum, Dominum, Imperatorem, aut Regem, a quo omne conſilium, præceptum, aut lex, quæ ab illis, qui parent, ſit obſeruanda proueniat: Quod præclare ab omnium rerum parente natura factum fuiſſe videmus, quæ in ipſis humanis corporibus procreandis vnum effixit caput, a quo quidem in inferioribus membris influxus deſcendant, itaq; mirum videri non debet, ſi in miſtico Chriſti corpore quod eſt Eccleſia, ipſe Dei filius vnum ſuis fidelibus caput reliquerit, Petrum Apoſtolum, cui ſummus Romanus quiſq; Pontifex pulcherrima ſerie, tanquam hæreditario ſuccedit. Hoc idem Deus Optimus Maximus; cum quatuor elementa, è quibus ſingula oriuntur ex nihilo crearet obſeruans, principem ignem conſtituit, inter mettalla aurum, inter colores album excellere iubens, qualitatibus, quæ ad ſpiritum pertinent, caritatem præfecit, vires leoni præter cætera animantia tribuit, auibusq; præfecit Aquilam, piſcibus cætum, ſolem cæteris planetis antepoſuit, cælos quoq; ita conſtruxit, vt primum mobile cæteris, qui mouentur, præſtantius cenſeatur, omnibus verò illis cælum empireum dignius conſtituit, inter Angelos principem tenet Seraphin,

quid? quòd, neque tartara capite, atque principe carent Lucifero, qui quidem omnium peſſimus exiſtit?

Quis igitur tam ſtolidus negare audeat, eundem ordinem vnigenitum Dei filium in Eccleſia ſuâ conſtituenda ſeruaſſe? pulcherrimum iſtum ordinem ſapientiſsimus ille Solomon nobis oſtendit, ſapientiæ Cap. xi. cum indicat Deum Optimum maximum cuncta, quæ effeciſſet, numero, pondere, & menſura terminaſſe. Numerus ſe in varijs animantium generibus abſolutis nobis oſtendit, pondus quotidie oculis cernere poſſumus, grauia ſiquidem deorſum ferri, leuia contra ſurſum extolli cernimus, menſuram autem ibi intueri licet, quòd vnicuique ex animantibus ea virtus tributa eſt, vt vnus alium non perdat, ſed inuicem ſeruet, ſinguli ſtatum ſuum tenentes, quam diſpoſitionem à præpotenti manu Dei in Eccleſia effectam conſpicimus, in qua numerus ſeptem ordinum, ſeptem itidem ſacramentorum; horarum item ſeptem, quas canonicas vocamus, miro quodam ordine diſpoſitas habetur, onus autem, & dignitas pro ſuperiorum, & inferiorum graduum ratione diuerſa, menſuram quoque, & authoritatem diffinitam videmus, ne qui excedat, aut perturbet aliū in agendo, atq; ita graduum ſinguli ſeruantur, vt omnes tamen ab vno capite, atq; auctore pendeant,

ant,

ant, omnes opifices ſumma vi enituntur, vt eorum affectus naturæ ſint maxime ſimiles, quod etiam ipſa natura fecit, cernimus enim arborum ſemina, vbi in terram deciderint, ſui ſimilem arborem emittere. Ita quoq; paſsim animantes ſui ſimiles ſemper procreant: homo ſui ſimilem hominem gignit, ita in cæteris. Hoc idem in pictura fit manifeſtum, nam pictor tabulam illam, atq; effigiem, illi quantum poteſt, ſimilem reddere ſtudet, quam antea mente concepit. Neq; tantum in natura, atq; arte iſtud cognoſcitur, ſed in ipſo ſummo atq; immortali Deo, qui hominē effingens ad ſuam ipſius imaginem protulit, Chriſtus autem cum verè, & abſolute omnium ſanctiſsimus extitiſſet, voluit, ſibi ſimilem inſtituere eccleſiam, itaq; proprio eam ſanguine lauit, neq; vllo modo paſſus eſſet, cum ipſe vere ſit ordo, & ſapientia patris, eccleſiam ſibi vnicam dilectam absq; ſerie conſiſtere omnino, aut eam omni ordine ſpoliatam reliquiſſe, niſi vnum caput ſibimet ipſi ſucceſſorem eligiſſet, experientia compertum eſt, effectus ipſos in cauſis referri, inferiores quoq; cauſas in ſuperioribus, vt exempli cauſa tellus aquæ ſubijcitur, ab eaque operam, atq; auxilium accipit quo ad fructus ferendos, vt aptisſima reddatur, quibus humanæ vitæ neceſſaria tribuat, aquam aer expurgat, aerem ignis, ignem agitant cæli, cælos primum

quod mobile dicitur, vertit; ipſum autem ab Angelo moueri exiſtimamus, Angelum autem à Deo præpotenti omnino immobili, atq; ſapientiſſimo, qui virtute propria rebus omnibus modum adhibuit; ſimili ratione in eccleſia clerici tantum ad eos, qui ſubdiaconi appellantur, referri debent: diaconi ad Sacerdotes, Sacerdotes ad Epiſcopos; ipſi verò ad ſummum Pontificem. cum eo pacto ſe habeant etiam Principum, & Regum aulæ, videlicet, vt minores in eorum negocijs; maiores, & principi gratiores tueantur. Itaq; ſic Paulus Ad Tit. cap. iij. prodit. Admone illos, principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe oportet. Humanum corpus ex diuerſis conſtitutum eſt membris, ſingula tamen ſuum habent munus, loquendi vis ori, atq; linguæ tributum eſt, oculis videndi, auribus audiendi, pedibus totius corporis geſtandi, manibus agendi, atq; vnum aliquid alterius officiũ occupat, aut propriũ remoratur. Atq; hoc eſt, quod Paulus ait ad Rom. 12. & 1. ad Cor. cap. 6. ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eumdem actum habent; ita multi vnum ſumus in Chriſto, ſinguli autem, alter alterius membra; quibus quidem locis ſibi vult Apoſtolus, quod ſi ſingulæ partes realis corporis in miſtico Chriſti corpore eſſe debent, Caput in

primis animaduerti debet, vna cum proprio ipſius munere. Quam ob cauſam idem Apoſtolus ad Rom. cap. 13. omnis anima (inquit) poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; omnis enim poteſtas a Domino Deo eſt, & qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit.

Habemus in Exod. ſummũ vnum ſacerdotem Aron omni populo in ſacerdotis, & ſũmi Pontificis munere præfuiſſe; qua ratione ne hanc Eccleſiã Synagoge inferiorem eſſe volumus, caput eam habere; quod quidem ſit Summus Pontifex, vouebat Deo holocauſta pro admiſſis populorum, fateamur oportet, quemadmodum hæbræis diximus; quod Euangelio Chriſtiq; ipſius verbis comprobamus.

Locus eſt apud Matth. Cap. 16. vbi ipſe Dominus Petro dixit; tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, non enim inquit me ipſum Petre, quem confeſſus fuiſti, ſuper te conſtituam; ſed te ſuper me ipſum locabo; perinde ac ſi diceret, velim te mihi vicarium eſſe, totamq; petram ſupra me ſtabiliri; itaq; proſequitur; & tibi dabo Claues regni Cælorum; & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cælis & cæt. Hinc apud Lucam Cap. xi. & Chriſtus Petrum alloquitur. Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; Ego autem rogaui pro te Petre,

vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, quo loco Petri fidem nunquam defuturam oſtendit, authoritatemq; Petro alios confirmandi tradit. Rurſus Cap. 17. apud Mattheum inquit Petro, vade, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius ſtaterem inuenies, illum ſumēs, da eis pro me, & te, non ex his verbis, nō omnes Apoſtolos, ſed vnum Petrū ſibi æqualem iudicaſſe videmus. Iterum Matthei Cap. x. Mar. 3. Luc. 6. enarratur conſtitutio Apoſtolorum, quo loco ſemper priore loco Petrus nominatur. Ioan. Cap. 14. ſemel iterum atq; tertio rogat eundem Chriſtus, vt ſibi cōmiſſas paſcat oues, vbi apertè eum paſtorem vniuerſi gregis vicarium electum videmus. Quod quidem paſcendi munus adminiſtrationem, & curā totius ſignificat. 34. Ioan. Cap. 31. vbi Chriſtus nō alios Apoſtolos è naui, ſed Petrū euocat, eūq; ſolū in medijs aquis ſuſtinet. 5. Luc. non alios ad dexterā nauis iacere, ſed Petrū iubet, non alijs, ſed vni Petro tanquam paſtori dixit, ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum Luc. 6. Ante alios in dignitate ſe vocatū fuiſſe Apoſtolū ipſe Petrus oſtendit. Act. 5. primus, & præ omnibus in concilio loquitur, primus auctoritatem, atq; officium in ſontes exercet, iubens ante ipſius pedes Ananiam, & Zaphiram

mor-

mortuos cadere, ſicut etiam primus pro magiſtro tuendo gladium eduxerat, ſoli Petro dictum, duc in altum. Luc. 5. ſolus Petrus interrogat Dominum, dicens, ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Matth. 19. ſolus itidem inquit Matthei 12. an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes & cæt. ſolus Ioan. vltimo traxit retem plenam magnis piſcibus, ſoli Petro oſtenſum fuit linteum de cælo ſubmiſſum, & ei ſoli dictum de omnibus illis animalibus occide, & manduca, ſoli Petro dictum Simon dormis, non potuiſti vna hora mecum vigilare, vt oſtenderetur, quod ipſe præceptor haberet vigilare. Quamobrem Petrus, & ſucceſſores Pontifices ſupremam habent poteſtatem, atq; principatum in vniuerſa Eccleſia c. cum beatiſsimus 24.q. 5.c. nolite xi. diſt. c. beate Petrus 2. 9. 7. can. com. in c. propoſuit de conc. præb. in clem. 1. vt lit. pend. in c. paſtoralis de re iud. in c. ad honorem de vſu pal. in 6. Eſt etenim R. Pontif. generalis Chriſti vicarius, quem elegit Dominus in ſummum ſacerdotem c. fin. de traſl. prælat. c. fin. de re iud. in ſexto D. Hier. in opus. contra cur. Grecorum cap. 65. & ratio naturalis ſuadet, vt maneat vnus, cui cæteri obediant, quoniam ſi omnes forent pares, nemo ortam contentionem ſedaret, hinc diuiſio, quæ ruinam afferret. Matth. 12. Luc. 11. omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur 25.

9. 2.c. ſi ea glos. 24. 9. 5. vbi pluralitas, ibi diuiſio, & ſicuti in triumphāti Eccleſia vnus eſt Dominus cæleſtis totius orbis iuxta illud Domini eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarū, & vniuerſi qui habitant in ea c. tua nobis ex de decimis, ſic in hac militanti ad illius inſtar, Apoc. 21. glos. in c. ad noſtram ex de hæret. in extrau. vnam ſanctam & cæt. & propterea inter cætera damnata extitit hæreſis Io. huſs. in Concilio Conſtantien. qui prodit Petrum non fuiſſe caput vniuerſæ Eccleſiæ contra tex. in c. rogamus 24. q. 5. & c. conſiderandum so. diſt. tex. 21. diſt. in ſumma in fine. Quoniam Chriſtus D. N. elegit eum in ſummum ſacerdotem, vide illud ſuper plebem meam principem te conſtitui c. fidelior 50. diſt. c. pro humani de homicid. lerem. 5. conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, Archiep. Flor. in 3. par. tit. 23. cap. 4. §. 5. exac. n. 34. ſuſcitabo ſuper eos Paſtorē vnum 37. Paſtor erit vnus omnium eorū, & ſapiens prodit Regimen vniuerſum optimum eſſe, vt vnus præſit omnibus cum Ariſt. 3. polit. 12. Metap. D. Thomas primo lib. de Reg. princip. ibi quod entia male diſponi, nec bona pluralitas principatū noſt. in l. ij. §. nouisſime de orig. iuris in l. ſi plures. § ap-parent ff. admi. tut. Io. delig. in tract. de bello pag. xi. Solus nempe abſoluit, quos ſynodus vniuerſalis ligat, non appellatur à pronunciatis per eum, princeps

C. 2.

ceps eſt R. E. quæ prærogatiuam, & excellentiam habet ſuper omnes orbis Eccleſias, omnium mater eſt, magiſtra, domina, & Regina, quarumcumq; aliarum Eccleſiarum totius orbis c. fundamenta de Elec. 6. in epiſtol. inter claras C. de ſum. Trinit fid. catholica, ſolus diſpenſat cum bigamo Hoſt. in c. quanto de trans. prælat. præter d. Apoſtoli 2. timit. j. ſolus diſponit in iuramento, ſolus deponit Imperatorem, ſolus Euangelium interprætatur, & illi adit. 21. q. c. præſul c. in omne ext. de teſt. dummodo contra fidem non veniat.

Neq; quod Dominus Io. 20. prodiẽs, ſicut miſit me pater, ego mitto vos, accipite Spiritũ ſanctũ & c. arguit poteſtatẽ Petro, & Apoſt. ſimul traditam eſſe, atq; ex cõmiſſa ſpecialiter iuſſu Domini actione apud Matth. 14. Mar. 6. Luc. 9. Ioan. 6. quando Chriſtus per manus Diſcipulorũ pauit turbas, vt diſtribuerẽt refectionis panem quaſi oſtenderet ad eos quoq; pertinere diuidere, & diſtribuire panem Diuinæ ſcript. Atq; ex ipſorum Apoſt. vocatione Mat. 4. Mar. 1. venite poſt me faciã vos fieri piſcatores hominũ & Io. 16. ecce ego mittã piſcatores multos, dicit Dominus, piſcabuntur eos, & iugiter etiam ex ipſa miſsione ad prædicandum gentibus regnum cælorum, apud Luc. 10. & Paul. 2. Cor. 5. inquiens pro Chriſto legatione fungimur, iamq; oro exhortantes per nos Matth. 10. Qui vos reci

 pit,

pit, me recipit Luc. 10. qui vos audit, me audit. Mar. vlt. euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c. & alibi vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur.

Quoniam ex his dumtaxat Apoſtolorum prærogatiua oſtenditur, non quod habeant poteſtatem audiendi, ſeu decidendi, Iuriſdictionē Petro ſoli a Chriſto traditam, quos autem ſemper præminentia, atq. magnitudine excellit Petrus Cæphas, Caput, & Princeps, & quilibet Pont. Rom.

Et quemadmodum in humano cernimus corpore præcipuas partes complecti, quodlibet caput ſub ſe alias minus, ita in miſtico Chriſti, quod eſt Eccleſia, caput Petrus eſt, vicē Chriſti gerens, præcipuæ partes, Apoſtoli, minus autem præcipuæ, eorum Diſcipuli exiſtunt. & quoniam Chriſtus, dum in humanis degeret, officio ipſe capitis fungebatur, eodem in loco, diſcedens Petrum ſibi ſucceſſorem reliquit, quamobrem igitur Petrus Chriſto ſucceſsit, ita Rom. Pont. Petro, Cardinales autem Apoſtolorum locum primi, & ſecundi ſtatus obtinuerunt, Diſcipulorum verò ſacerdotes cæteri.

Atq; ita ſe habent capitis huius partes, quas præcipuas diximus, ſunt etiam remotæ partes homines quicunq;, ad quos Sacramentorum medicina, & munerum ſpiritualiū virtus promanat, pro-

xima-

ximarum partium opera hoc eſt ſacerdotum (vt modo diximus)

Huius autem capitis duas in Eccleſia autoritates, ſiue poteſtates habemus.

Altera ciuilis.

Altera Eccleſiaſtica nuncupatur.

Ciuilis, res eas, quæ ad corpus pertinent, admi niſtrat, cuius caput eſt Imperator permiſſu Papæ.

Eccleſiaſtica verò rerum (vt commodiſsimè lo quamur) ſpiritualium curam gerit, cuius caput eſt præcipue Summus Romanus Pontifex. Ita vt ſic Imperatori res profanas pro ſuo arbitrato diſpone re licet, ita res ſacras Pontifici. Ciuilis in Eccleſiaſticam ſubditur in cauſis ad ſpiritualem ſtatum reducibilibus.

Quarum etenim vetuſtiorem Eccleſiaſticam cenſemus, quoniam ea orbis initio cæpit, quam iuſtus geſsit Abel, cum nulla tùm eſſet ciuilis atq; poteſtas, is enim, Sacerdotis officio functus, ſacri ficia Deo obtulit, ob quam causā poſtea Auguſtinus ad Oroſium ſcribens, in Abel inquit, virginitas fuit, ſacerdotium, & teſtimonium. Natura ta men ſacerdotium præpoſitum videmus, cum Melchiſedech Noe filius primogenitus, & Sacerdos extiterit.

Quod ſi dicas Melchiſedech Regem etiã fuiſſe.

Reſpondeo, non gratia primæ genituræ fuiſſe.

Reſpondeo, non gratia primæ geniture fuiſſe Regem, ſed certè Sacerdotem.

Rurſus Pontifices, qui ſacra miniſtrabant, fuerunt ante Reges, & Imperatores, vt primum de Numa Pompilio legimus, qui Pontifices Romæ inſtituit, vt refert Plutarchus in eius vita.

Pomponius verò lætus diſſentit, inquit enim eos è patribus, eligiſſe, & ex his Pontificem Maximum feciſſe Martium Martij filium, & ipſius Numæ generum.

Pontifices autem, Numæ temporibus, quatuor extitiſſe, inde intelligi poteſt, quod Liuius lib. 10. decad. 1. inquit Rogationem quoq; promulgarunt, vt cum quatuor Augures, quatuor Pontifices ea tempeſtate eſſent, placeretq; augeri Sacerdotum numerum, quatuor Pontifices, quinq; Augures de plebe omnes adlegerentur.

Officium autem illorum Pont. ante Reges, & Imperatores perpetuum, & ampliſsimũ fuit, nam eum qui in Pontificem aſcitus eſſet, non licebat ante mortem priuare, quemadmodum de Cæſare inquit Dion lib. xlix. qui Pontificatum Lepidi, cũ ei oblatus eſſet, reſpuiſſe dicitur, quòad viueret Lepidus, defuncto autem eorum aliquo, vt refert Dionys. Halicarnaſs. lib. 2. alius in demortui locum ſubſtituitur, non à populo electus, ſed ab ipſis Pontificibus, id quod, & hodie quoq; apud nos

Chri-

Chriſtianos in vſu eſſe apparet, cum à Cardinalibus, vnus ex ipſis in Pontificem Maximum eligatur, idem Dionys. lib. 1. Antiquitatum Romanorum de eorum Pontificum illo tempore officio refert, inquiens ſunt etenim rerum maximarum Domini, etenim dijudicant ſacras quasq; cauſas, magiſtratus omnes, quibus, vel Sacrificiū aliquod, vel cultus Deorum demandatus eſt, Sacerdotesq; & eorum famulos, & miniſtros, quibus ad ſacra vtuntur recenſent, curamq; gerunt, obſeruantq;, ne quis peccet in ſacris legibus, priuatisq; hominibus deorum. ac gentium cultus ignorantibus oſtendentes, ſi quis dictis ſuis minime parentes deprehenderent, eos mulctant, atq; coercent, nullam earum quæ geſſerint, rationem Senatui, Populoue Romano, reddere, legibus, aut moribus deuincti,

Horum etiam Pontificum fuit religiones, & ceremonias publicas, priuatasq; & ſacra, resq; diuinas, ſanctiſsime tueri, & interpretari, illaq; omnia, & ſcripta, ſignataq; habere, vt quibus aris, quibus Dijs, quibusq; hoſtijs, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fierent, perſpectum haberent, neque Romana ſacra negligerent, peregrinosq; ritus aſciſcerent, aut Deorum ceremonias turbarent.

Ad quos, tam de cæleſtium Deorum ſacrificijs quàm de funeribus, iuſtisq; exibendis, placandisq; manibus, ac ſupernis, inferisq; dijs, de ſepulchris,

&

& votis, rite exſoluendis, de ferijs, de religione, pietate, ſanctitate, deq; fide, & iureiurando, ſacrificijsq; ſolemnibus, plebs quoties videbatur, tamquam; ad Antiſtitem Deorum immortalium ceremoniarum, & ſacrorum conſultas ibat.

Solebant etiã Pontifices hiſce temporibus templa, & mortuos Imperatores conſecrare, loca ſepulturæ deſignare, fundationes confirmare, calendas & idus ordinare, de nuptijs cognoſcere, legitimæ an illegitimæ ſint, atq; etiam quamplura exercebant de quibus apud Liuium lib. 9. Decad. 1. Columellam lib. 2. de Re ruſt. Cornelium tacitum libro 18. & lib. 3. & Strabon. lib. 5.

Quarum autem poteſtatum Eccleſiaſtica eſt dignior, ſi quidem ea nullo interiecto medio à Deo eſt, ciuilem autem homo inſtituit ſæpe per vim, atq; iniuriam, vt de regno Aſsiriorum, & Caldeorum legentibus innotuit.

Quorum primus Rex Nembroth tyrannus maxime atrox, gentibus odioſiſsimus extitit Genes. c. x. Babilon autem regni eius fuit initium. Medorum etiam, & Perſarum Regnum maxime violentum fuiſſe Dan. 5. cap. oſtendit Regnum illud, inquit, ad Perſas translatum, defuncto Baldhaſſar Babilon Rege, quod in alijs quoque imperijs vſq; ad Romanum exquirere poſſumus.

Huc accedit, quòd Petri poteſtas ab amore initium

tium habuit, Cæſaris autem ab odio, cupiditate, atq; tyrannide, & ſicuti corpore animus eſt præſtantior, ita eccleſiaſtica preſtat ciuili.

Præterea cum ciuilis, ſi modo legitima exiſtat, ab eccleſiaſtica pendet, non autem è contra, vt habetur primo Regum cap. 8. cum enim ibi populus Regem a Samuele peteret, ad præces Samuel verſus Deum contulit, itaq; ſic ad eum Dominus, conſtitue ſuper eos Regem, cum eſſet igitur Samuel Sacerdos, Regem Saulem conſtituit, & poſtea Dauidem, dignior etiam dicitur poteſtas, propterea quod ciuiles eatenus leges rectæ dicuntur, quatenus ab eccleſiaſtica authoritate conſtitutæ fuerint.

Dici præterea poteſt, virtutes, quæ in ciuili poteſtate habentur morales eſſe, neq; hominem ad finem eius adducere, quòd ſi vna cum theologiæ virtutibus aggregatæ fuerint, quæ in ordine eccleſiaſtico reperiuntur, & ab Eccleſiæ miniſtris euulgantur, & prædicantur, omnibus tùm temporis huiuſmodi virtutes ſimul iunctæ Chriſtianæ fiunt, hominumq; ad proprium finem ducere poſſunt, poſtremo dicimus Petri poteſtatem, & ſucceſſorum digniorem eſſe, propterea quòd nouit ipſa modum, qua populorum animi naſcantur, iterum in poteſtate ciuili non poteſt autem hoc facere politica, & ciuilis, quæ in Petro, & eius ſucceſſoribus cogno-

gno-

gnoſcitur ob id quod. Claues ei Chriſtus pollicetur Matth. 16. & tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis.

Quapropter quemadmodum traditis clauibus aut capſæ, aut domus, aut templi, poteſtas rerum, quæ ibi ſeruantur data intelligitur, & poteſt Dominus eo modo factus, theſauros aperire, communicare pro ſuo arbitratu quibuscunq; viſum fuerit, claudere etiam, ſi qui indigni tanto munere videbuntur, neq; valde de illa re ſoliciti: ita Petrus autoritatem ſimilem habet in regno cælorum, quæ ſucceſſoribus eius atq; miniſtris communicatur: excommunicationibus itaq;, quem voluerint alligant, ab ijsdemq; liberant ſacris, etiam ordinibus homines diuino cultu aſtringunt, ijdemq; ſoluunt de huiusmodi ordinum gradibus deijcientes, deuincit Romanus Pontifex conferendo beneficia, & dignitates in Eccleſia viris virtute præditis, ſoluit quoq;, cum ea indignis adimit, obſtringit, cum admiſſa declarat, quibus homines diuina priuantur gratia, abſoluit, cum errantes confeſsione abſoluuntur, alligat pænitentia, cum eam abſoluendo iniungit alicui, ſoluit itidem cum ea, aut commutatur ab ea, aut adimitur, deniq; præceptis ſuis, quibus ieiunare, ſacrum audire, & huiuſcemodi iubet, cum deuinctos reddere homi-

nes

nes certiſsimum eſt.

Rurſus duas claues Petro, & ſucceſſoribus traditas eſſe firmiter aſſerimus.

Quarum altera poteſtatis, atq; ordinis.

Altera vero iurisdictionis appellatur.

Ordinis, quæ prior eſt, opera cuiusdam conſecrationis, veluti in celebratione rei diuinæ confertur, poſterior eſt traditione, & conſignatione (vt loquuntur) in eum, qui ſacris initiatur, tradi, cenſemus.

Prima Sacramentis adminiſtrandis deſeruit.

Secunda curam gregis Chriſti reſpicit, prima in dedicando Chriſti corpore re ipſa, Secunda Chriſti corpus myſticum reſpicit:

Quarum ordinis duæ ſunt.

Vna, ſcientiæ.

Altera poteſtatis appellatur. (mitti.

Priore erratum diſcerni poteſt, retineri, aut re-

Poſteriore, ſiquidem retinendi, aut remittendi auctoritas, poteſtatis & iuſtitiæ

Clauis nuncupatur. (bet.

Iuſtitiæ nāq; homines aut vinciri, aut ſolui de-

Quamobrem auoctritas huius ordinis requirit etiam facultatem interprætandi, de qua Chriſtus apud Mattheum cap. 20. Docete omnes gentes, & apud Lucam, 16. prædicate Euangelium omni creaturæ, iterum Luc. 24. tunc aperuit illis ſen-

D ſum,

ſum, vt intelligerent ſcripturas, & Ioan. 20. ſicut miſit me pater & ego mitto vos.

Rurſus poteſtas hæc in Sacerdote ſacramenta omnia reſpicit, illum coſtituens, vt peccata deleri poſsit Ioan. 20. vt Baptiſmum conferre Matth. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij &c. vt corpus, & ſanguis Chriſti ſeruare, Matth. 26. Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis, confirmandi quoq; autoritas eis tradita eſt. Act. 8. Petrus, & Ioan. eos qui in Samaria verbum Dei audiuerant, confirmarunt, vbi manuum impoſitione, orantes ſpiritus Domini ſuper eos deſcendit, iam verò, vt ægrotantes quoq; inungerent ſancto oleo, præceptum eis fuiſſe teſtatur Iacobus cap. v. vt ſacris iniciarent ordinibus. Paulus prima, ad Timoth. cap. 4. noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum præsbyteri: & ad Tit. huius rei gratia reliqui te, vt quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates præsbyteros, & Act. 14. ipſos Apoſtolos, in diuerſis Eccleſijs Sacerdotes inſtituiſſe legitur, poſtremò penes hunc ordinem matrimonij exercendi reſidet autoritas, vt eſt apud Matth. 19. & Mar. 10.

Quarum etiam poteſtatum ordinis iuriſdictionem digniorem affirmamus.

Iuriſdictionis autoritas illius gratia, atq; finis conſtituta eſt, quæ quidem ſacerdoti traditur, vt

popu-

populum in via Dei inſtituat, eumq; optime paratum reddat ad ſanctiſsima ſacramenta, quæ profectò ab ordinis poteſtate communicatur.

Si prætérea poſtremus ordinis finis, qui eſt corpus Chriſti ſanctiſsimum a nobis animaduertitur, vnam eſſe dicimus, tam enim quilibet ſacerdos corporis Chriſti ſacrandi, illud atq; exhibendi, quàm ſummus Pontifex poteſtatem habet, quod ſi hæc poteſtas ordinis, corpus Chriſti miſticum reſpiciat, eam in Pontifice, atq; Epiſcopis, quàm in ſimplici Sacerdote maiorem aſſerimus, quoniam non ipſi ſacros ordines conferre poſſunt, non confirmare, neq; illa remittere, quæ iure quodam Epiſcopis; aut Pontifici reſeruantur, huc in Pontificem Rom. transfertur auctoritas, eo pacto quo quis ad ſupremos ſcalarum gradus peruenit, ab infimo enim gradu incipere conuenit, primus huius ſcalæ gradus muuns eſt Oſtiarij, ſecundus Lectoris, tertius Exorciſtæ, quartus Acoliti, quintus Subdiaconi, ſextus Diaconi, ſeptimus Sacerdotis, quo quidem in ordine Sacerdotes omnes ſimilem, quantum ad Sacramenta pertinet, habent poteſtatem, vt antea diximus; non autem quò ad iurisdictionem ſupremam, cum ipſa tantum in ſummo Pontifice reperiatur, qui vniuerſæ præeſt Eccleſiæ, ita Epiſcopi in proprijs Diœceſibus, ac ſimplices Sacerdotes in priuatis eorum Eccleſijs.

Et tam late patet Pontificis Romani autoritas, vt quicquid inter Chriſtianos conſtitutum eſſet, præter totum vniuerſalis ord. Eccl. poteſt ab ipſo infectum reddi, quod ſi vnus non ſufficeret Concilium, aut vniuerſale, aut particulare, cogere non prohibetur, vt ſibi commodum viſum fuerit, adeoq; hæc autoritas pollet, vt Concilium vniuerſum, ſi coactum eſſet, quicquid ab eo præter Pontificis ordinem fieret, irritum fore putaretur, quod Senatus conſulto Niceno cautum fuiſſe Patrum omnium conſenſu refert Athanaſius epiſtola ad Felicem Pontificem.

Quòd ſi reſpondeas Imperatoribus ergo, atq; regibus non erit hæc poteſtas? hoc vtiq; negamus, Principum enim autoritas huiuſmodi in Concilijs eatenus eſſe debet, quatenus Romano Pontifici opem erunt, vt eiusq; autoritatem aduerſus hæreticorum furorem tueantur, ne tam magnum perturbetur negocium, atq; vt nolentes, aut tergiuerſantes parere cogant, vt nullus vis inferendæ locus relinquatur.

Si tamen obijcias Conſtantinum quartum, Toletanum Concilium coegiſſe, & apud Iſidorum legas hoc idem alios factitaſſe.

Reſpondemus verum hoc eſſe, ſed tamen ſemper voluntas, atq; iuſſus Summorum Pontificum præceſsit.

Co-

Cuiuſq; tanta eſt poteſtas vt communi Concilii ſemper prepoleat autoritate approbatiua, concluſiua, ſiue diffinitiua.

Inquiſitiua autem, vel conſultiua ſecus, quod vtraque exemplo oſtendi poteſt, in aula Imperatoris, aut Regis de magno quopiam agendum ais negocio, vt puta de bello alicui inferendo, res agitur inter Regios conſiliarios, qui fortaſſe præſtantiori ſunt iuditio, quàm alij omnes, perpendunt, igitur viri illi negotium iſtud propoſitum, ab omnibus reputatur ſapientibus, fundamenta, & rationes ſuas quiſq; affert, quodq; ſibi commodum videtur, conſulit, quò facto, huiuſmodi conſultatio ad regem refertur, qui ſuam dicit ſententiam, ſuorumq; ſapientum, ſi viſum fuerit ſenſum comprobare.

Modo poteſtas tutò conſulendi maior, magiſq; tuta dicetur, & conſtans in illis quinquaginta ſapientibus, quàm in vno rege, vniuerſæ enim prius ſummendum eſt, præſtantius multo rem ipſam quinquaginta percepturi, quàm vnus, autoritas autem, quæ quidquid agendum ſit approbet, penes ipſum Regem eſt, magis quàm in cæteris omnibus, ad eum ſiquidem pertinet, aut velle, aut nolle.

Ad eundem modum de Romano Pontifice dicimus, conuocabit Concilium pro cauſa oblata, cui fortaſſe intererunt permulti Cardinales vna cum ipſo, hoc caſu nulli dubium eſt, multorum

Car-

Cardinalium conſenſum maiorem conſtantiam habiturum, quàm ſummi Pontificis.

Statuere verò, atq; ratum habere illorum ſenſum in vno eſt Pontifice, multo magis quàm in omnibus illis, ſicuti enim diximus, ſolius eſt capitis, aut comprobare, aut irritum facere, quod vniuerſi ſenſere.

Ad rem igitur redeuntes dicimus poteſtatem conſulendi maiorem Concilio ineſſe, vbi tot doctiſsimi viri, præclariſsimaq; ingenia conuenerunt, quàm Summo Pontifici.

Statuendi verò, & confirmandi autoritas, maior in eo eſt, cum ipſe ſolus, quod illi decreuerunt, aut ratum, aut irritum habere poſsit.

Et quamuis Pontifex errare poſsit, vt homo particularis, non autem Concilium poſt approbationem; non videtur Pontificis autoritas concilio eſſe ſubicienda.

Quoniam in Pontifice, duo ſunt iudicia.

Alterum perſonale,

Alterum ſapientiale, & iudiciale appellatum.

Perſonale, illud eſt, quod quiſq; per ſe ſuo ingenio diſcutit, atq; in hoc iudicij genere Pontifex decipi poteſt, vt Marcellinus, cum tyranni metu thuris honorem idolis ſoluit, debuit enim mortem ſubire potius honeſtam. Iudicium ſapientiale illud eſt, quod Summus Pontifex exequitur iuxta

præ-

præſcriptum illorum Patrum, qui in aliquod Concilium conuenerunt.

Et quoniam huiuſmodi præcepta diligenter ſunt animaduerſa, diuinoq; Spiritu confirmata Concilio iuſtè, & ſecundum leges coacto, ideo Pontifex, qui iuxta Patrum huiuſmodi normam agit, errare poſſe non eſt credendum.

Et quatenus ad ſui ipſius cōſcientiam pertinet, illa omnia, de quibus Concilium decreuerit, accipere Pontifex debet, poteſt tamen etiam reijcere; veruntamen quoties hoc fecerit, vtiq; iuxta iudicium illud, quod perſonale diximus, egerit, ſapientiali derelicto.

Et cum ea Pontifex, quæ Concilium ſtatuit accipere debeat, non omnino creditur Concilij maior autoritas, quoniam diximus Pontificem obligari, ex æquo ad illa, quæ concilium decernit, non vti res, quæ ab hominibus pendeant, ibi coactis, hoc enim modo non illorum caput eſſet; ſed tanquam diuino ſpiritu afflante, ad ſe miſſas obſeruabit, itaq; niſi eas ſecundum eumdem ſpiritum editas acceperit, erraret, & quoniam eo pacto eius quoq; autoritas à diuino Spiritu emanat, poteſtate Concilij minorem eſſe non eſt dicendū, neq; quòd Petrū in Apoſtolorū cætu ſurrexiſſe, atq; eum loquutum eſſe legimus, quæ decidiſſent, vel hac in re tantū, non concilij autoritatē maiorē eſſe oſtendit.

Fin-

Finge patrem quempiam familias hoc idem inter ſuos filios, atq; domeſticos facere, num ob id ſequitur filiorum maiorem eſſe quàm patris poteſtas?

Ad eumdem modum de Petro, & eius ſucceſſore reſponderi poteſt, quamuis enim in Senatu illo Apoſtolorum de rebus decernendis referret, non tamen eius poteſtas inferior eſt habenda, quoniam ſi tanquam iudicem, & caput Petrum, & ſucceſſorem intuemur, is vtiq; non vnam cum alijs ſententiam dicit, ſed auctoritate ſua decernit, quid ſibi agendum videatur.

Neq; quòd Eccleſia mater credentium appellatur, eſt quidem maior Pontifice, is enim è multis filijs vnus exiſtit, vnde præclare Caliſtus quemadmodum, inquit, filios æquiſsimum eſt præceptis parentum obſequi, ita vnum quemq; noſtrum matris voluntati, ſiquidem priuatum hominem Pontificem conſideramus, nulli dubium eſt, filium eum eſſe Eccleſiæ. at ſi tanquam caput, Pater appellabitur, itaq; maior erit.

Quid ergo agendum, ſi Pontifex tam perditè viueret, vt de Eccleſiæ pernitie timendum eſſet. A viris innocentiſsimis atq; (ſicuti diximus) de Chriſto præclare ſentientibus admoneri poterit, nunquam enim hæreticus Pontifex inuentus eſt, (licet iſtud accidere poſsit) & continuo Eccleſia

Deo

Deo præpotenti pro ipſo preces offerre debet, Cardinales, obſiſtere quidem poterunt, ratione tamen habita dignitatis, vti Paulum erga Petrum feciſſe legimus.

Cum verò appareret periculum aliquod Chriſtianæ fidei, aut Eccleſiæ imminere Cardinalibus Concilium cogere licebit, non vt Pontificem abdicet, ſed vt de eo, quod impendebit, decernat.

Si quid vero in Pontifice vitij fuerit, ferendus eſt, at ſi de fide deceſſerit, perhumaniter admonendus, vti ſanctiſsime Anacletus monet Diſt. xxj. capite Nunc autem. Si Chriſtus fundamenta Eccleſiæ ſupra Petram iecit. Petra autem ipſe eſt Chriſtus, qui quæſo caput, aut fundamentum erit Petrus?

Enimuero lapis eſt quidam primarius, potiſsimumq; fundamentum, quod quidem Chriſtus eſt, extra quem nemo conſtitui poteſt.

Alius lapis eſt ſecundarius, qui ſupra primum conſtituitur, atq; hic eſt Petrus, poſt quem alij ſequuntur lapides ad ædificium conſtruendum, cæteri videlicet Apoſtoli: quam ob cauſam à Ioanne duodecim fundamētá diuinæ ciuitatis appellātur.

Præclare igitur quàm latè pateat Petri auctoritas, & ſucceſſorum Pontificum Romanorum inter viuos, accepimus, vt modo nobis explicare licet, an ad mortuos etiam extendatur, cum Chriſtus affirmet poteſtatem retinendi, aut remittēdi Petro

traditam in terris tantùm habere locum.

Dico .n. ad animas, quæ in purgationis locum verſantur, Pontificis emanat auctoritas.

Cum vero inquis in terris tantùm Petro ius traditum eſſe.

Reſponde cauſam omnem, quæ à Pontifice pertractatur ſupra terram verſari, quandoquidem peccata hic ſunt admiſſa, hæc igitur præcibus expiare Pontificem dicimus, ex illis autem erumnis, atq; purgatorij tenebris liberari animas à Põtifice.

Propriæ recta, & (vt ſi dicam) immediata auctoritate, non iſtud Pontifex agit, vt expreſſe dicat hanc, vel illam eripiamus animam.

Sed aperto theſauro illorum, quæ Chriſtus paſſus fuit, eiuſq; imitatores, ex eo quantum ſibi videtur deſumens, atq; Chriſtianorum quaſi per manus diſtribuens, tunc temporis opem ferre animis illis in purgationis loco dicitur, aut pænas demere, aut omnino liberare iuxta rectum Dei iudicium, in bonis applicandis, de quibus paulo ante, officium autem iſtud, quod in illos animos eo pacto confertur, per modum ſuffragij vocat, exinaniet igitur mehercule locum illum vniuerſum Pontifex theſauro iſto meritorum Chriſti, & Diuorum eius.

Sed adducimus, poſitiones quatuor quæ, ſemper veræ exiſtunt.

Quarum prima ſic ſe habet.

Non poteſt Pontifex à purgatorijs ærumnis animam vendicare.

Secunda, vacuum purgatorium reddere nequit.

Tertia, animam vnam ex illis tenebris educere valet.

Quarta omnes animas è Purgatorio eximere poteſt, ſicuti ſupra poſuimus.

Propria, & peculiari auctoritate, neq; vnum, neq; plures animos liberare poteſt, ſunt enim re ipſa ſub terris, quò auctoritas eius non peruenit.

Secundario autem, & per accidens, ſiue per modum ſuffragij, vnum poteſt animum, aut omnes vnà educere.

Ecce enim miſericordia impulſus Chriſto fidentibus admiſſorum veniam condonabit, & fortaſſe huiuſmodi remiſsio centum eſt annorum pœnæ condonandæ alicui animæ, quæ tali ſupplicio eſſet obnoxia; euenit, vt Chriſtianis multis concedatur huiuſmodi venia pro illis animis ibi detentis.

Fac modo inter illas vnam eſſe, quæ tantum debeat, multo maius aliarum omnium eſt debitum, hoc caſu anima illa, quæ centũ annis eo loci degere cogebatur, omnino liberatur, alijs pæna imminuitur pro debiti vniuſcuiuſq; ratione.

Quo caſu vt videtis non euocat hanc, vel illam

animam Pontifex, neq; acceptis clauibus dicit huic, aut illis aperiam.

At manus iuſtitiæ, & pietatis Dei eſt, qui ſignificationem voluntatis eorum, quos diligit, admirabili iudicio, cui viſum fuerit, applicat.

Quòd ſi fieret, vt centum in purgationis loco eſſent animæ totidemq; Chriſtiani exciperent talem Indulgentiam, neq; maius æs alienum eſſet illatum, quàm ipſa continet, hoc caſu vacuus ille locus relinqueretur.

Neq; tamen Pontifex iuberet illas diſcedere, quandoquidem Dei Optimi Maximi munus iſtud exiſtit, qui amore maximo erga nos impulſus talem Pontifici beneficij conferendi tribuit auctoritatem.

Et ſic deniq; Deus omnipotens, quæ obſeruatione digna fuerunt, figuram, atq; vmbram tanti huius Vicarij nobis reliquit, vt cum poſtea res ipſæ aduenirent, eas homines cognoſcerent, atq; exciperent.

Antequam Petrus Eccleſiæ præeſſet, Moyſes ad eum ſignificandum Synagogam Sacerdos adminiſtrauit.

Hic grauiter peccat aquam è lapide eliciendo, cum eam precibus impetrare debuiſſet.

Grauius Petrus delinquit Chriſtum negans, cuius moleſtijs mærere, atq; ingemere debuiſſet.

Moy-

Moyſes arcana Dei concilia cognouit, videns populum ab Aegiptijs oppreſſum in libertatem eſſe vindicandum.

Petrus iudeos, & gentes per Chriſtum fore ſeruandos non ignorauit, cum ſibi diuerſa animalia munda, atq; immunda diuina opera videre vtiq; iuſſus eſt.

Moyſes Chriſti Transfigurationem cognouit.

Petrus Transfigurationem, & reſurrectionem proprijs oculis vidit.

Moyſi, eſt traditus Spiritus Sanctus in gratiam diuinæ reuelationis.

Petro, vt peccata remitteret.

Vidit Moyſes Dei gloriam Tabernaculum inſedentem.

Petrus Chriſtum Dei filium cælos aſcendentem inſpexit.

Moyſes corporis valetudinem ſerpentis in ligno ſublati virtute conferebat.

At veſtium Petri vmbra corporis, atq; animi ſanitatem laborantibus reſtituebat.

Moyſes quoscunq; ei fidem haberent ad limbum mittebat.

Petrus Cælum Chriſti fidentibus largiebatur.

Moyſes ex aqua liberatur.

Petrus ſiccis per vndas maris pergit.

Moyſes in Aegipto docet.

Pe-

Petrus Chriſtum cruci affixũ gẽtibus prædicat.

Moyſes tantis cladibus Aegyptum affecit.

Petro expellendorum morborum cuiuſcunq; generis tradita eſt auctoritas.

Moyſi pro cibo in deſerto Manna exhibetur.

Petro panem, & piſces in magna copia Chriſtus auget, tum propriam eius carnem, & ſanguinem ei tradidit.

Moyſes aquam erumpentem è petra vidit.

At Petrus ſanguinem, & aquam è latere ſanctiſsimo vnigeniti filij Dei promanantẽ cognouit.

Moyſi aquæ dulces ſunt effectæ.

Petro diuerſæ cruces, atq; mors ipſa leuior videtur.

Moyſes à Deo legem accepit.

Petrus a Chriſto Euangelium.

Moyſes Deo victimas obtulit.

Petrus à Chriſti morte pontificiam ſellam obtinuit, atq; in orientis partibus primum eius ſacrum peregit, moremq; celebrandi induxit.

Poſtremo vniuerſa Moyſis vita à Petro ſuperatur, hic ſiquidem cumulatus fide dixit, tu es Chriſtus Filius Dei viui, operoſus valde ægrotis valetudinem reſtituit, eos, qui Chriſti rebelles eſſent, interfecit, in ſermonibus admirabilis, cum duabus concionibus quinq; hominum millia conuertit, in oratione adeo ardens, vt aliquando ei cælum fuerit apertum Act. x. & dũ præces funderet.

Spi-

Spiritus Sanctus ſuper ipſum deſcendebat, ſicuti de Samaritanis legimus Act. 8.

Quæ omnnia in cæteris Rom. Pont. Petri ſucceſſoribus proculdubio permiſſu Dei locum obtinet.

LAVS DEO.

FINIS.